UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Sacrarum Literarum Primarij Professoris. Tractatvs De Legibvs, Ac Deo Legislatore

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1619

Censvra P. F. Lvdovici Ab Angelis, Ordinis Minorvm Provincialis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-94074

Visual Library

CENSVRA P. F. LVDOVICI AB ANGELIS, ORDINIS MINORVM PROVINCIALIS.

EX mandato supremi Sanctæ Inquisitionis Senatus, vidi hanc de Legibus Tractationem ab admodum Reu. & eruditiss. Patre Francisco Suarèz compositam, in qua summa, & in ipso solita eruditione difficultates huius materiæ disserit & dissoluit, nihilq; fidei repugnans in hoc Tractatu continetur, nihil almæ matris Ecclesiæ atq; sanctorum Patrum Decretis, aut bonis moribus contrarium. Imò potius in omnibus explicandis, quæ hanc disputationem concernere possunt, tantum in ea eruditionis splendorem reperiri comperi, vt nihil superius, vel ad Disputationem Theologicam, vel ad Iuris Pontificij interpretationem desiderari videatur. Quocirca tanquam Theologiæ & Juris Canonici eruditissimis necessariam, & Reipubl. Christianæ vtilissimam dignam iudico, quod typis excusa omnibus offeratur. Dat. Olysipone die 5. Maij, Anno 1611.

Fr. Ludouicus ab Angelis.

CENSVRA P. F. VINCENTII PEREIRA, Ordinis Prædicatorum.

LEgi accuratè de mandato supremi Senatus sanctæ inquisitionis Tractatum hunc de Legibus in decem libros distinctum, Authore R. P. Doctore Francisco Suarez. Primarij in Conimbricensi Academia Professoris, dignumq; suo authore iudico: plùs enim in illo est, quod probatur aspectu, quàm ore laudari possit, sicut de Luce ait D. Ambr. lib. 1. Exam. c. 9. In communem ergo omnium vtilitatem typis mandari potest. Dat. in Conuentu S. Dominici Olysiponensis, die 5. Augusti, Anno Salutis 1611.

Fr. Vincentius Pereira.

FACVLTAS R. PP. IOANNIS COPERI, SOCIETATIS Iesu, per Prouinciam Rheni.

CVm ex mandato Sac. Cæs. Maiestatis, omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, ac aliis quamcunq; librariam negotiationem exercentibus seriò firmiterque inhibeatur, ne quisquam libros vllos à Societatis nostræ Patribus hactenus editos aut in posterum edendos, intra Sacri Imperij, regnorum & dominiorum Suæ Cæs. Maiest. hæreditariorum fines, simili aliove charactere aut forma, siue in toto, siue in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere, & distrahere, clam seu palam, citra supradictorum Patrum consensum, ac testimonium audeat, vel præsumat, Ego IOANNES COPERVS Societatis Iesu per Rheni Prouinciam Prouincialis, concedo Hermanno Mylio facultatem excudendi Francisci Suarez Tractatum de Legibus ac Deo Legislatore. In quorum fidem hoc ei testimonium manu nostra subscriptum, & sigillo munitum dare voluimus. Fuldæ 14. Februarij M. DC. XIX:

Ioannes Coperus
Prouincialis.